



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

Feria IV. Cinerum & in Quadragesima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

tur : ut nec ab his sine dolore possit avelli , nec ad illa sine magno gemitu vel raro queat admitti. Hinc nempe vim faciunt qui quærunt animam meam , ut clamare necesse sit : *Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huius* <sup>b</sup> ? Inde priusquam comedam suspiro , *quia regnum cœlorum vim patitur , & violenti rapiunt illud* <sup>i</sup>. Nihilominus tamen & illic unitas , & hic tenenda divisio est : sicut & Adam soporatus est in contemplatione , & animalia nominum impositione discrevit. Sic nimirum sic & Abraham in sacrificio non quidem volatilia , sed animalia legitur divisisse <sup>k</sup>. Et Martha erga multa turbatur <sup>l</sup> , cum unum sit necessarium. Necessarium planè unum , & maxime necessarium , quoniam hæc pars optima , quæ non auferetur. Cessabit divisio cum venerit plenitudo , & erit totius sanctæ civitatis Hierusalem participatio in id ipsum. Interim Spiritus sapientiæ non modò unicus , sed & multiplex est : inferiora quidem in unitatem solidans , sed sub iudicio exteriora distinguens. Utrumque tibi in primitiva Ecclesia commendatur <sup>m</sup> , *quando multitudinis credentium erat cor unum , & anima una* , ne volatilia scinderentur : *dividebatur autem singulis prout cuique opus erat* , ut animalia secarentur. Sit igitur etiam in nobis , charissimi , unitas animorum , unita sint corda diligendo unum , quærendo unum , adhærando uni , & ipsum invicem sentiendo. Sic nimirum exterior ipsa divisio & evadit periculum , & scandalum non incurrit , dum videlicet etsi propria cuique tolerantia , propria quoque nonnunquam in terrenis agendis sententia , sed & diversa interdum dona gratiarum , nec membra omnia actum eundem videntur habere : unitas tamen interior & unanimitas ipsam quoque multipliciter colligat & constringit charitatis glutino , & vinculo pacis,

## IN CAPITE JEIUNII.

Quid ungeri caput , &amp; faciem lavare ?

## SERMO I.

*Tu , cum jeunaveris , unge caput tuum , & faciem tuam lava ,*  
Matth. 6. c.

**H**odie dilectissimi sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur , tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc observatio ; una omnium est , quicumque in eandem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jeiunium omnibus Christianis ? Quidni caput suum membra sequantur ? Si bona suscepimus ab hoc capite , mala autem quare non sustineamus ? An respuere tristitia volumus , & communicare jucundis ? Si ita est , indignos nos capitis huius participatione probamus.

*Fide quid  
sentiendum*

probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est. Quod si in opere salutis nostræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadiutores nos exhibebimus illi? Non est magnum, si jeiunet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum, si compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia capiti, & sequetur illud quocumque ierit. Alioquin si forte abscindi separarique contingat, privetur statim necesse est etiam spiritu vitæ. Quæcumque enim portio capiti non cohæret, unde ei iam sensus aut vita? Nec sanè deerit qui expositam occupet, ut ne tunc quidem sit absque capite. Germinabit rursùm radix amaritudinis, venenatum caput iterum pullulabit. Illud, inquam caput, quod in eo contriverat ante fortis mulier mater Ecclesia. Dico autem quando per eam regeneratus est in spem vitæ, quem natura filium iræ mater carnalis ediderat.

*de Christianis  
ieiunium de-  
stantibus.*

Videbit ergo jam, si fuerit qui revelatos habeat oculos cordis, & spiritualiter intueatur, horrendum omnino monstrum, corpus quidem hominis, caput autem dæmonis habens. Non solum autem, sed etiam erunt novissima hominis illius peiora prioribus, cum vipereum illud caput, quod prius fuerat amputatum, non absque septem nequioribus se revertatur. Quis non solo contremisecat auditu? Tollens membrum Christi, faciam membrum dæmoniorum? Abscissus autem à corpore Christi, Satanæ miser incorporabor? Sit procul à nobis semper execranda ista communicatio, Fratres mei. Mihi omnino adhærere tibi bonum est, ô Caput gloriosum & benedictum in sæcula, in quod & Angeli prospicere concupiscunt. Sequar te quocumque ieris. Si transferis per ignem, non avellar à te, non timebo mala quoniam tu mecum es. Tu dolores meos portas, & pro me doles: tu prius tranlis per angustum passionis foramen, ut latum præbeas sequentibus membris ingressum. *Quis nos separabit à Charitate Christi<sup>a</sup>?* Ipsa enim est per quam omne corpus per nexus & juncturas crevit. Hoc glutinum bonum, cuius meminit Elaias<sup>b</sup>. Hæc, per quam *bonum est & jucundum habitare fratres in unum<sup>c</sup>*. Hoc unguentum quod descendit à capite in barbam, à capite descendit & in oram vestimenti, ut ne minima quidem simbria careat unctio. In capite siquidem plenitudo gratiarum, de qua accipimus omnes, in capite universitas miserationis, in capite inexhaustus fons pietatis divinæ, in capite affluentia tota spiritualis unguenti, sicut scriptum est<sup>d</sup>: *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Ipsum tamen quod tam copiosè Pater unxerat caput, Maria quoq; ungere non veretur. Calumniantur quidè discipuli<sup>e</sup>, sed respondet Veritas pro ea, quod bonū opus sit operata. *Matt. 26.*

*Qui à Christo  
Capite se sepa-  
rat, moritur,  
aut monstru-  
fit.*

<sup>a</sup> Rom. 8.  
<sup>b</sup> Elaiæ. 41. b

<sup>c</sup> Psal. 132. a

<sup>d</sup> Psal. 44. a

<sup>e</sup> Matt. 26.

Denique & nobis hodie quid præcipit in Evangelio? Tu (inquit) *cum jeiunaveris, unge caput tuum* <sup>f</sup>. Mira dignatio. Spiritus Domini super eum, eo quod unxit eum, & nihilominus tamen Evangelizans pauperibus ait: *Unge caput tuum*. Complacet sibi Pater in Filio, & dum vox sonat in æthere, descendit Spiritus in columba. Putatis fratres, quia Christi baptismo chrisma defuerit? Manet Domini spiritus super ipsum; & unctum ab eo quis dubitet? *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* <sup>g</sup>. Hæc planè spiritualis unguenti fragrantia est. Unxit Pater Filium præ participibus suis, in quo præ cæteris singulariter complacet sibi. Pater enim diligit Filium, affectu utique divino, & inexperto omni creatura. Unxit, inquam, præ participibus suis, accumulans super eum universa charismata benignitatis, mansuetudinis, & suavitatis, abundantius cum replens visceribus misericordiæ & miserationis. Unctum denique misit ad nos, quem nobis exhibuit plenum gratiæ & miserationis. Sic unctum à Patre est caput nostrum, & nihilominus ungi postulat & à nobis. *Cum jeiunaveris* (inquit) *unge caput tuum* <sup>h</sup>. Itane aquam petit à rivulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis. *Ad fontem enim unde exeunt, flumina revertuntur ut iterum fluant.*

Non verò ut minus habens quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat quicquid ad eum referre volueris. Si quidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta superveniens repellatur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. Unge igitur caput tuum refundens in eum qui supra te est, quicquid in te est devotionis, quicquid delectationis, quicquid affectionis. Unge igitur caput tuum, ut si quæ in te est gratia revertatur ad ipsum: nec tuam quæras gloriam, sed ipsius. Ungit enim Christum, qui bonus eius odor est in omni loco. Memento sanè adversus hypocritas hunc processisse sermonem. *Nolite* (inquit <sup>k</sup>) *feri sicut hypocritæ tristes*. Non omnimodam nobis tristitiam interdicit, sed quæ in facie est coram hominibus. Aliòquin *cor sapientis ubi tristitia* <sup>l</sup>: & Paulum quoque discipulos contristasse non piget <sup>m</sup>, pro eo quod contristati sunt ad salutem. Non est talis tristitia hypocritarum: non in corde, sed in facie est. Exterminant enim facies suas.

Nota proinde quod non dixerit, Nolite esse sicut hypocritæ tristes, sed, nolite fieri, hoc est fingi. Sic quippe vulgò dicitur. Tristem se facit, aut magnificat se: &c. Qui beatificat te, in errorem te adducit; & similia,

Gratitudo cumulat beneficia.

<sup>f</sup> Matt. 6. c

<sup>g</sup> Matt. 3. d

<sup>h</sup> Matt. 6. c

<sup>i</sup> Eccli. 1. b

<sup>k</sup> Matt. 6.

<sup>l</sup> Eccli. 7. a

<sup>m</sup> 2. Cor. 7. c

milia, quæ simulationis sunt, non veritatis. *Tu autem cum jeiunaveris, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Exterminant illi faciem, tu autem lavare juberis. Est autem facies, quæ in facie est conversatio. Hanc fidelis Christi servus lavat, ne quod offendiculum præbeat intuenti: hypocrita magis exterminat, dum singularia magis & inusitata sectatur. Sed nec caput ungit, cuius affectio elongatur à Christo, & vanis favoribus delectatur. Ungit potius semetipsum, ut propriæ fragrantiam opinionis respergat. Aut certè quia manifestum est non esse caput hypocritæ Christum: nec suum tamen qualecunque caput ungere potest, cuius mens non propriæ testimonio conscientiæ sed adulationibus demulcetur. *Date nobis (aiunt fatuæ virgines) de oleo vestro.* Cur hoc? Quia in vasis suis oleum non habent. Sed non est prudentium hujuscemodi oleum dare. Quod enim sibi fieri nolunt, quando ipsi facient aliis? Audi verò Prophetam, cui incerta & occulta sapientiæ suæ revelaverat Deus, *Oleum, inquit, peccatoris non impinguet caput meum.* Emunt oleum istud hypocritæ sicut ait Dominus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam: Exterminant enim facies suas, ut appareant jeiunantes.* Vides quam brevi sermone hypocritas & singularitatis notat, & arguit vanitatis. Vide etiã quàm paucis & coram Deo suadeat bona, & coram hominibus providere. *Unge caput tuum, & faciem tuam lava,* hoc est, sic te irreprehensibilem foris exhibe, ut divinam tibi conciliare studeas gratiam: & ante oculos humanos non propriam quæras gloriam, sed Auctoris.

Potest tamen & alio modo *lota facies*, conscientia pura, & *unctum caput* intelligi mens devota. Quod si id probas, adversus duplex vitium quod maximè solent appetere jeiunantes, hæc duo verba *ablutionis* & *unctionis* dicta videntur. Alius enim jeiunat studio vanitatis & huic dicitur, *Faciem tuam lava.* Alius jeiunat cum in patientia & rancore, & huic opus est, ut *caput ungat.* Est autem caput istud, mens interior, quæ tunc ungitur in jeiunio, cum spiritualiter delectatur in ea. An verò tibi novum videtur, ut dicamus caput ungi jeiunio? Ego plus dico, etiam impinguatur. Nunquam ne legisti quod scriptum est, *Ut alat eos in fame?* Est ergo jeiunium corporis, capitis unctio, & carnis inedia, refectio cordis. Quidni dixerim unctioem, quæ & medetur vulneribus, & exasperatas conscientias lenit? Emat igitur hypocrita jeiunio suo oleum peccatoris, ego meum interim non vendo jeiunium, & ipsum mihi oleum est quo ungar. *Unge (inquit) caput tuum,* ne quid forte murmuris aut impatientiæ subeat. Non solum autem, sed & *gloriare in tribulatione*, sicut ait Apostolus. *Gloriare, inquam, sed absque omni studio vanitatis: ut sit etiam facies munda ab oleo peccatoris.*

*Conversatio  
sincera non si-  
cila aut simu-  
lata.*

*Hypocrita non  
sua conscientie,  
sed aliene sci-  
entia student.*

*n Matt. 25. 1*

*o Psal. 104. b  
p Matt. 6. c*

*Hypocrita sin-  
gularitatis &  
vanitatis ar-  
guuntur.*

*Duplex viti-  
um jeiunan-  
tibus maximè  
cavendum:*

*Vana gloria  
& impatien-  
tia.*

*q Psal. 32. d*

*r Rom. 5.*

## IN CAPITE JEIUNII.

Quomodo debeamus converti ad Dominum.

## S E R M O II.

**C**onvertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens <sup>a</sup>. Quid tibi vult dilectissimi, quod præcipit Dominus, ut convertamur ad eum? Ubique enim est, & replet omnia, & nihilominus complectitur universa. Quo me vertam, ut convertar ad te Domine Deus meus? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades <sup>b</sup>. Quid jubes quò convertar ad te? supra an infra? ad dexteram, an ad sinistram? Consilium istud, Fratres mei, secretum est, quod solis credatur amicis. Mysterium regni Dei est, Apostolis revelatur in aure, nam turbis nihil dicitur absque parabola. Nisi conversi fueritis, inquit <sup>c</sup>, & efficiemini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Agnosce planè quò <sup>d</sup> velit ut convertamur. Ad parvulum converti necesse est, ut dica-  
 mus ab eo, quia mitis est, & humilis corde. Ad hoc siquidem parvulus datus est nobis. Sanè idem & magnus est, sed in civitate Domini, cui & dicitur <sup>e</sup>: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Quid tu inflaris ò homo? Quid extolleris sine causa? Quid alta sapias, & oculi tui omne sublime vident, quod tibi non cedit in bonum? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis. Elevata est magnificentia illius, & non poteris ad eam. Nec si te ruperis apprehendes. Accedet, inquit <sup>e</sup>, homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Excelsus siquidem Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit <sup>f</sup>. Humiliare & apprehendisti. Hæc planè lex pietatis: & propter hanc legem sustinui te Domine. Si fortè sublimitatis esset via propolita, & illic iter, quo ostenderetur Salutare Dei, quanta facerent homines ut exaltarentur? Quam crudeliter invicem sternerent, invicem conculcarent? Quam impudenter reperent, manibusq; & pedibus conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena? Et certè qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, ascendentes equidem ex adverso. Nihil verò facilius est volenti, quàm humiliare semetipsum. Hoc verbum est, dilectissimi, quod omnino nos reddidit inexcusabiles: ut ne tenue quidem nobis velamen prætereunda liceat.

Sed jam ad hunc parvulum, ad magnitudinis & humilitatis magistrum quoniã modo converti necesse sit, videamus, *Convertimini* (inquit) *ad me in toto corde vestro*. Fratres, si dixisset convertimini nihil addens: esset

\* a Ioel. 2. c

\* Pf. 138. b

\* Matt. 18. a

\* a7. quã

\* Esai. 12. b

\* Psal. 63. b

\* Psal. 129. a

Ad Deum  
 magnum &  
 excessum non  
 sublimi sed  
 humili viã  
 tenditur.

efflet vobis forsitan liberum respondere, Factum est, jam aliud proponere mandatum. Nunc autem spiritualis (ut audio) conversionis nos admonet, quæ non una die perficitur, utinam vel in omni vita qua degimus in hoc corpore, valeat consummari. Corporis namque conversio si sola fuerit, nulla erit. Forma siquidem conversionis est ista, non veritas, vacuam virtute gerens speciem pietatis. Miser homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse cum nihil sit, ipse se seducit. *Sicut aqua effusus sum* (ait Psalmista & in persona hominis huiuscemodi) & *dispersa sunt omnia ossa mea*. Et alius quidam Prophetæ <sup>b</sup>. *Comederunt, inquit, alieni robur eius, & ignoravit*. Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, jeuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis; sed cor longè est à me, dicit Dominus <sup>i</sup>.

*Conversio exterioris hominis sine interiore inanis.*

<sup>g</sup> Psal. 21. c  
<sup>h</sup> Osee. 7. c\*

NOTA.  
Quam multos fallat exterior sui superficies & cortex sine medulla.  
<sup>i</sup> Marc. 7.  
Passiones animi uti examinande & ordinande.

Attende solerter quid diligas, quid metuas: unde gaudeas, aut contristeris, & sub habitu religionis animum secularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est; & de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum, & tristitia æquè convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundum eum doleas aut læteris. Quid enim perversum magis quàm lætari cum malefeceris: & in rebus pessimis exultare? Sed & ea quoque quæ secundum carnem est tristitia, mortem operatur <sup>a</sup>. Si pro tuo sive proximi peccato doles, bene facis, & hæc tristitia est ad salutem. Si gaudeas ad munera gratiæ, hoc gaudium sanctum est, & securum gaudium in Spiritu sancto. Debes, & in dilectione Christi fraternis congaudere prosperitatibus, & adversitatibus condolare, sicut scriptum est <sup>k</sup>; *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus*.

<sup>a</sup> 2. Cor. 7. e

<sup>k</sup> Rom. 12.

Verum ne ipsa corporis quidem est parvipendenda conversio, quia spiritualis huius adminiculum noscitur esse non parvum. Inde est quod in hoc loco Dominus cum dixisset, *in toto corde*, adiunxit protinus, *in jeunio*: quod utique corporis est. Volo tamen admonitos esse fratres meos, observandum illud non ab escis tantum, sed ab omnibus illecebris carnis, & universa corporis voluptate. Imò verò jejunandum longè amplius à vitis quàm à cibus. Sed est panis à quo vos jejunare nolo, ne forte deficiatis in via; & si nescitis, panem dico lachrymarum. Sequitur enim:

*Conversio corporis quoque non negligenda.*

*Jejunandum non solum ab escis, sed ab*

omnibus ille-  
cebris, & po-  
tissimum a  
vitiis.  
l'Psal. 41.a

in ieiunio & fletu & planctu. Exigit enim planctum à nobis pœnitentiæ præteritæ conversationis: exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* (ait Propheta <sup>l</sup>) *cum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Parum ei placet huius vitæ novitas, qui necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera conscientia læsionem, Sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lachrymis. Minus tibi nota sunt, si non renuit consolari anima tua, donec veniant.

Quomodo  
scindendum  
cor.

⁂ Sap. 7. c

o Psal. 65. a  
& 107.  
Scissio cordis  
est resignatio  
voluntatis.

p Psal. 118. i

Addit deinde Propheta: *Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Quibus verbis manifestè prior ille populus Judæorum & duritiæ cordis & vanæ superstitionis arguitur. Crebra siquidem apud eos scissio vestium, sed non cordium esse solebat. Quando enim scinderentur corda lapidea, quæ non poterant nec circumcidi? *Scindite, inquit, corda vestra & non vestimenta vestra.* Quis in vobis est, cuius voluntas circa unum aliquid solet obstinatio inveni scindat cor suum gladio spiritus, quod est verbum Dei: scindat illud, & in multas minutias festinet disparitari. Alioquin non est converti ad Dominum in toto corde, nisi scisso corde. Donec enim illam unam accipias Hierusalem, cuius est participatio in idipsum, multa interim tibi præcipiuntur, & si in uno offenderis, factus es omnium reus. *Spiritus Domini multiplex, ait Sapiens* ⁂, nec potes sequi multiplicem sine multiplici scissione. Audi denique hominem quem secundum cor suum invenerat Deus. *Paratum, inquit* <sup>o</sup>, *cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum ad adversa, paratum ad prospera: paratum ad humilia, paratum ad sublimia: paratum ad universa, quæcunque præceperis. Vis pastorem ovium facere? Vis constituere regem populorum? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis ut David fidelis ingrediens & egrediens, & pergens ad imperium regis? Et dicebat de peccatoribus <sup>p</sup>: *Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus sum.* Inde enim cordis duritia, inde mentis obstinatio, quia mediatur quis non legem Domini, sed propriam voluntatem.

Scindamus itaque corda nostra, dilectissimi, quatenus integra proinde vestimenta servemus. Vestes enim nostræ, virtutes sunt. Bona vestis charitas, bona vestis obedientia est. Beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet nudus. Denique beati quorum tecta sunt peccata <sup>m</sup>: etenim charitas operit multitudinem peccatorum <sup>l</sup>. Scindamus corda, sicut prædictum est, ut hæc vestimenta integra servemus, quemadmodum integra servata est tunica Salvatoris. Nec modò integram servat

m Psal. 31. a  
& Iacob 5. d



servat vestem scissio cordis, sed & talarem eam facit & polymitam, qualem à sancto patriarcha Jacob accepit filius, qui præ cæteris amabatur <sup>r</sup>. r Gen. 37. a  
 Hinc nempe virtutum perseverantia, hinc conversationis pulchræ discolor unitas. Hinc illa est gloria regis filia in fimbriis aureis, circumamictæ varietatibus <sup>f</sup>. Potest tamen & aliter hæc scissio cordis intelligi, ut <sup>f</sup> Psal. 44. b  
 siquidem pravum fuerit, scindatur ad confessionem: si durum, ad compassionem. Quidni scindatur cor, ut visceribus effluat pietatis? Quidni <sup>f</sup> Scissio cordis ad confessionem, & compassionem.  
 scindatur ulcus, ut sanies effluat? Utilis prorsus utraque scissio, ut nec clausum lateat peccati virus in corde, nec indigenti proximo claudamus viscera misericordiæ: ut & ipsi consequamur misericordiam à Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula, AMEN.

DE JEIUNIO QUADRAGESIMÆ,  
 SERMO III.

**R**Ogo vos, dilectissimi, tota devotione suscipite Quadragesimale Jejunium, quod non sola abstinentia commendat, sed multo magis sacramentum. Nam si devotè usque modò jeunavimus, utique sancto hoc tempore jeunandum nobis est multo devotiùs. Si quid enim additur ad solitum abstinentiæ modum, nunquid non valde indignum est, ut nobis onerosum sit quod Ecclesia portat universa nobiscum? Hactenus usque ad nonam jeunavimus soli: nunc usque ad vesperam jeunabunt nobiscum pariter universi reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper. Hæc idcirco dixerim, Fratres, ne quis fortè turbetur à pusillanimitate spiritus, & jejunium præsens quis minori devotione suscipiat, dum se fortassis meminerit prioris quoque jejunii pondus satis difficile tolerasse. Hoc enim quantum potest laborat adversarius noster, ut holocaustum nostrum devotionis pinguedine vacuetur, ut & minus acceptum sit Deo, & conscientia nostra in spirituali gaudio minus exhilaretur: sicque de pusillanimitate tolerantia, etiam conscientia pusillanimitas generetur. Cuius astutias non ignorantes, tota obsecro adversus eum sollicitudine vigilemus: & quia hilarem datorem diligit Deus, & ipsa quoque conscientia nostra ampliori exinde fiducia sublevatur, ut devotiora sint nostra jeunia, sollicitè nobis totius Ecclesiæ proponamus exempla.

Sed quid de his loquor quos habemus in hac jejunii observatione consortes, quasi non multò excellentiores habeamus in ea duces, imò & consecratos? Quanta devotione suscipiendum est vobis, quod à sancto Moyse tanquam hæreditario jure traditur, cui speciali præ cæteris prophetis

*Observa priscum jejunandi morem usque ad vesperam.*

*Demon insidiatur jejunio.*

*Jejunii quos duces habeamus.*

Moyſis, Elia,  
& Chriſti. Ex-  
emplo jeiu-  
nium com-  
mendatur.

phetis prærogativa, facie ad faciem Dominus loquebatur? Quanto fervore amplectendum est, quod Helias ille commendat igneo curru raptus in cœlum? Ecce enim quam multa millia à diebus illis generalis conditio mortis invasit: Helias tamen usque adhuc conservante Domino manus eius evasit. Jam verò si commendant jeiunium præsens Moyses & Helias, quamvis magni, tamen conservi nostri, quantum commendat illud JESUS Dominus noster, qui & ipse diebus totidem jejunavit? Qualis ille est, non dicam monachus, sed Christianus, qui minus devotè jeiunium suscipit, quod ei tradit ipse Christus. Denique tanto devotius imitandum nobis est, dilectissimi, Christi jejunantis exemplum, quanto certius est propter nos eum jejunasse non propter seipsum.

Totum tem-  
pus vite, tem-  
pus Pœnitentia.  
b Esa. 55. b

Jejunemus ergo charissimi, & devotè jejunemus sancto hoc Quadragesimæ tempore: ita sanè ut noverimus quadragesimam nostram non solos quadraginta dies habere. Continuanda enim nobis est quadragesima cunctis diebus miseræ huius vitæ, dum per auxiliū gratiæ (quæ quatuor Evangelis commendatur) necesse est nos decalogum legis implere. Errant planè qui paucissimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt, cum certum sit totum vitæ huius tempus non nisi ad pœnitentiam institutum. *Quærite Dominum*, ait Propheta, non solum quadraginta diebus, sed *dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est*<sup>b</sup>. Neq; enim tunc erit invocandi tempus, quando nemini proximus erit DEUS, sed aliis quidem præsens, aliis verò nimis valde remotus. Interim sanè ex eo quod proximus dicitur, manifestum est quod nondum habetur, sed tamen haberi, & inveniri facile potest. Quis tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones? utiq; qui fecit cum eo misericordiam<sup>c</sup>. Ergo quia toto hoc tempore misericordiæ proximus est: quærite Dominum, charissimi, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.

c Luc. 10. e

ieiunium sin-  
gulis membris  
sive sensibus  
quomodo in-  
dicendum.

Veruntamen præsentī Quadragesima maiore nobis nunc fervore quærendus, quæ non solum pars, sed & sacramentum est totius temporis huius. Propterea si forte diebus cæteris studia vestra aliquatenus intepuerant, dignum est ut nunc in fervore spiritus recalescant. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jeiunet, & sufficit. Si verò peccaverunt & membra cætera, cur non jeiunent & ipsa: Jeiunet ergo oculus qui deprædatus est animam, jeiunet auris, jeiunet lingua, jeiunet manus, jeiunet etiam anima ipsa. Jeiunet oculus à curiosis aspectibus & omni petulantia, ut benè humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jeiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcunque ociosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia. Jeiunet lingua à detractōne & murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus

bus

Bus verbis : interdum quoque ob gravitatem silentii, & ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jeiunet manus ab ociosis signis, & ab operibus omnibus quæcunque non sunt imperata. Sed & multo magis anima ipsa jeiunet à vitiis, & propria voluntate sua. Etenim sine jeunio hoc cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est <sup>c</sup> *quia in diebus jeuniorum vestrorum voluntates vestrae inveniuntur.* <sup>c. Esa. 58. 4</sup>

IN QUADRAGESIMA

De Oratione & Jeunio.

S E R M O I V.

Quia jeunii quadragesimalis tempus advenit, quod tota devotione suscipere moneo charitatem vestram : dignum reor aliquatenus exponere, quo fructu & quemadmodum oporteat jejunare. Primum quidem fratres, pro eo quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis quæ prius commisimus illicita condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi jeunio brevi jeunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus : ubi guttam aquæ dives postulat <sup>a</sup>, & accipere non meretur. Bonum ergo & salutare jeunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solum autem abolitio est peccatorum, sed extirpatio vitiorum : non solum obtinet veniam, sed & promeretur gratiam : non solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed & repellit futura quæ committere poteramus. <sup>a. Luc. 16. d</sup>

Dicam unum adhuc quod facile capiat, sæpius, nisi fallor, experti? Jeunium orationi devotione & fiduciam donat. Et vide quemadmodum sibi invicem jeunium & oratio socientur, sicut scriptum est <sup>b</sup>, *Frater adiuvens fratrem, ambo consolabuntur* : Oratio virtutem impetrat jeunandi, & jeunium gratiam promeretur orandi. Jeunium orationem roborat, oratio sanctificat jeunium, & Domino repræsentat. Quid enim jeunium nobis proderit, si relinquatur in terra? quod absit. Sublevetur ergo jeunium penna quadam orationis. Verum huic, ne fortè minus sufficiat, alteram quoque necesse est sociari. *Oratio iusti*, ait Scriptura <sup>c</sup>, *penetrat cælos*. Sint ergo jeunio nostro, ut facile cælos penetret, alæ duæ orationis scilicet, atque iustitiæ. Iustitia vero quæ est, nisi quæ cuique reddit quod suum est? Noli ergo quasi solum attendere Deum, debitor enim es etiam Prælati, etiam fratribus tuis: nec vult Deus ut parvipendas quos ipse minimè parvipendit. Neque enim sine causa ait Apostolus <sup>d</sup>, *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Dicebas fortasse. Sufficit mihi si tantum DEUS approbat quod ago, quæ mihi de humano

Quo fructu, & quomodo jeunandum.

Jeunii & orationis copula. <sup>b</sup> Prov. 18. 6

Oratio & iustitia sunt alæ jeunii.

<sup>d</sup> Rom. 12. d Ingratum Deo, quod scandaloso, inobediens, &

Sermones S. Bernardi.

X

cura

*Singularitati  
commixtū est.  
e Iocl. 1.*

*f Luc. 18. b  
ieiunii utilis  
conditiones &  
requisita.*

*g Psal. 150. a*

*Tria Oratio-  
nis vitia.  
1. Nimia Ti-  
miditas.*

*h Psal. 41. b*

*Malè alii  
meas.*

*2. Orationis  
vitium, Te-  
meritas.  
i Esaiæ. 58. a  
Peccatori  
quomodo o-  
randum.*

*k Luc. 18. b*

cura iudicio? Sed certus sis, quod ei minimè placeat, quicquid cum scan-  
dalo filiorum eius, & contra ipsius feceris voluntatem, cui obedire tan-  
quam eius vicario oportebat. *Sanctificate* (inquit <sup>e</sup>) *ieiunium, vocate cœ-*  
*tum.* Quid enim est cœtum vocare? Unitatem servare, diligere pacem,  
fraternitatem amare. Superbus ille Phariseus ieiunium habuit, ieiu-  
nium sanctificavit, qui nimirum ieiunavit bis in sabbato; & gratias egit  
Deo: sed non vocavit cœtum, dicens <sup>f</sup>: *Non sum sicut ceteri hominum,*  
ideoque ala una nitens ieiunium eius non pervenit in cœlum. Vos er-  
go, charissimi, lavate manus vestras in sanguine peccatoris, & omnino  
solliciti estote, ut alas duas habeat ieiunium vestrum, sanctimoniam sci-  
licet & pacem, sine qua nemo videbit Deum. *Sanctificate ieiunium,* ut  
pura intentio & devota oratio divinæ illud offerat maiestati. *Vocate cœ-*  
*tum,* ut congruat unitati. *Laudate Dominum, in tympano & choro g,* ut  
concors sit mortificatio carnis.

Porro quia & de Ieiunio & de Justitia aliqua diximus, dignum est  
ut de Oratione quoque pauca loquamur. Hæc enim quanto efficacior  
est si fiat ut debet, tanto callidius impediri ab adversario solet. Interdum  
enim graviter impeditur oratio à pusillanimitate spiritus, & timore im-  
moderato. Hoc autem tunc solet fieri cum sic cogitat homo propriam  
indignitatem, ut non convertat oculos ad divinam benignitatem: *abyssus*  
enim *abyssum invocat* <sup>h</sup>: *abyssus luminosa, abyssum tenebrosam, abyf-*  
*sus misericordiæ, abyssum miseræ.* Profundum namque est cor homi-  
nis, & imperscrutabile. Sed si magna est iniquitas mea, multo maior est  
Domine pietas tua. Ideoque cum ad meipsum turbata fuerit anima mea,  
membrum sum multitudinis misericordiæ tuæ, & respiro in ea: & cum in-  
troiero in potentias tuas\*, nolo memorari justitiæ tuæ solius.

Veruatamen sicut periculum est, si fuerit oratio nimis timida, sic in  
contraria parte non minus imò & maius periculum est, si forte fuerit te-  
meraria. De his qui sic orant, audi quid loquatur ad Prophetam Domi-  
nus. *Clama,* inquit <sup>i</sup>, *ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, &c.* Quasi  
tuba, inquit, quia in spiritu vehementi increpandi sunt temerarii. Me  
etenim quærunt, qui seipsum nondum invenerunt. Nec hoc dico ut pec-  
catoribus auferam orandi fiduciam, sed volo eos orare tanquam gentem  
quæ peccatum fecerit, non justitiam. Orent pro indulgentia peccato-  
rum suorum in animo contrito, & spiritu humilitatis, quemadmodum  
publicanus ille, *Deus,* inquit <sup>k</sup> *propitius esto mihi peccatori.* Temeritatem  
enim dico, quando is, in cuius conscientia peccatum adhuc aut vitium a-  
liquod regnat, ambulat in magnis & mirabilibus super se, minus sollicitus  
pro periculo animæ suæ. Tertium periculum est, si sit oratio tepida, & non

ex viva

ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus ut oratio non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida verò in ascensu languescit & deficit, eo quòd non habeat vigorem. Nam temeraria non ascendit, sed resilit: resilitur enim ei; nec tantum non obtinet gratiam, sed & meretur offensam. Quæ verò fidelis & humilis & fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit; unde certum est quòd vacua redire non poterit.

3. Vitiis orationis, Tepiditas.

IN QUADRAGESIMA

De triplici modo orationis.

SERMO V.

Charitas qua pro vobis sollicitus sum, Fratres mei, cogit ut loquar vobis: & urgente ea multo sapius loquerer, nisi tam multis occupationibus impediret. Nec mirum si sollicitus sum pro vobis, cum inveniam in meipso materiam multam & occasionem sollicitudinis. Quoties enim propriam miseriam, & multimoda pericula cogito, haud dubium quin ad me ipsum conturbetur anima mea. Nec minor mihi sollicitudo est pro singulis quibusque vestrum, si tamen diligo vos tanquam meipsum. Novit ipse qui scrutatur corda, quoties in corde meo propriæ sollicitudini præponderat sollicitudo vestra. Nec mirum si multa mihi sollicitudo est, & timor magnus conturbat me super omnibus vobis, quos video in tanta miseria, & in tantis constitutos esse periculis. Ipse enim (ut manifestum) gestamus laqueum nostrum, ubi proprium circumferimus inimicum, carnem hanc loquor, de peccato natam in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine, sed multo amplius prava consuetudine vitiatam. Hinc est quòd tam acriter caro adversus spiritum concupiscit, quòd assidue murmurat, & impatiens est disciplina, quòd illicita suggerit, quòd nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore.

Inimicus noster domesticus, caro nostra.

Huic accedit, hanc adjuvat, hac utitur ad impugnandos nos callidissimus serpens, cui nullum aliud desiderium est, nullum studium, nullum negotium, nisi effundere sanguinem animarum. Hic est qui jugiter machinatur malum, qui desideria carnis instigat, qui concupiscentiæ ignem naturalem, quodammodo venenatis suggestionibus sufflat, illicitos motus inflammat, peccati occasiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum tentare non cessat. Hic est qui manus nostras proprio cingulo alligat, & ut dicitur, baculo nostro nos cædit, ut caro quæ data est in adiutorium, in ruinam nobis & in laqueum fiat.

Alter hostia noster insensibilis. Diabolus.

X 2

Sed

*Adversus u-  
trumque gra-  
ve homini  
certamen.*

*a Gen. 4. a  
\* al. illius.  
Hostis noster  
debilis; nemi-  
nem vincit  
nisi volentem.*

*Tentationes  
aperiunt no-  
bis imbecilli-  
tatem nostrā,  
& ad Deum  
refugere do-  
cent.*

*NOTA  
Antidotum  
tentationis  
humane, cum  
nobis vido-  
mur in va-  
num, & sine  
fructu orare.  
b I. an. 7. c*

*c Abac. 2. a*

Sed quid prodest indicasse pericula, si nulla consolatio, nulla adhi-  
beantur remedia? Grande quidem periculum est, & gravis lucta adver-  
sus domesticum hostem, maximè cum nos advenā simus, & ille civis: ille  
suam inhabitet regionem, nos exules simus, & peregrini. Magnum  
quoque discrimen, adversus diabolicæ fraudis astutias tam crebros imò  
continuos habere conflictus, quem nec videre quidem possumus & quem  
nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio mali-  
tiæ eius. Veruntamen in nobis est, si vinci nolumus, & nemo nostrum  
in hoc certamine dejicitur invitus. *Sub te est o homo appetitus tuus, & tu  
dominaberis illi*\*. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in  
te est si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est si volue-  
ris inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in  
bonum. Ecce enim inflamat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut  
impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solum-  
modo ne consenseris: & quoties restiteris, toties coronaberis.

Veruntamen negare non possumus, Fratres, molesta sunt hæc, &  
periculosa, sed & in ipso certamine si viriliter resistimus, quædam pia  
tranquillitas de conscientia bona nascitur. Credo etiam, si cogitationes  
istas quàm citò in nobis advertimus, non patimur remorari, sed in spiri-  
tu vehementi animus adversus illas excitatur: quoniam inimicus con-  
fusus abscedet à nobis; non tam libenter illicò revertetur. Sed qui su-  
mus nos aut quæ fortitudo nostra, ut tam multitentationibus resistere  
valeamus? Hoc erat certè quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos  
perducere satagebat: ut videntes defectum nostrum, & quòd non est no-  
bis auxilium aliud, ad eius misericordiam tota humilitate curramus. Pro-  
pterea rogo vos, Fratres, ut semper ad manū habeatis tutissimum orationis  
refugiū, de qua etiā memini me paulo ante in fine sermonis esse locutum.

Veruntamen quoties de oratione loquor, verba quædam humanæ  
cogitationis audire mihi videor in corde vestro, quæ & ab aliis frequenter  
audivi, & nonnunquam expertus sum in corde meo. Quid enim est, quòd  
licet nunquam ab oratione celsimus, vix & unquam experiri videatur a-  
liquis nostrum, quis sit orationis suæ fructus? Sicut ad orationem acce-  
dimus, sic redire videmur: nemo nobis respondit verbum, nemo quic-  
quam donat: sed laborasse videmur incassum. Sed quid in Evangelio  
dicit Dominus? *Nolite, ait* b, *judicare secundum faciem, sed iustum iudi-  
cium judicate.* Quod est autem iustum iudicium, nisi iudicium fidei?  
Quoniam iustus ex fide vivit c. Ergo iudicium fidei sequere, & non ex-  
perimentum tuum: quoniam fides quidem verax, sed experimentum fal-  
lax. Quæ est ergo veritas fidei, nisi quod promittit ipse filius DEI?

*Quidquid*

*Qui quid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis* <sup>d.</sup> Nemo ve- <sup>d Matt. 11. e</sup>  
 strum, fratres, parvipendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse  
 ad quem oramus, non parvipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore no- <sup>Quomodo o-</sup>  
 stro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et unum indubitanter è duobus <sup>ratio nostra</sup>  
 sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis no- <sup>non sit inanis</sup>  
 verit esse utilis. Nos enim quid oremus sicut oportet, nescimus: sed <sup>& infructuo-</sup>  
 miseretur ille super ignorantiam nostram: & orationem benignè susci- <sup>sa: NOT. A.,</sup>  
 piens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari neces- <sup>pro solatio u-</sup>  
 se est, minimè tribuit: oratio tamen infructuosa non erit. <sup>rantium.</sup>

Ita sanè, si fecerimus quod monemur in psalmo; id est, si delecte-  
 mur in Domino. Ait enim sanctus David: *Delectare in Domino, & dabit*  
*tibi petitiones cordis tui* <sup>e.</sup> Sed quid è Propheta, quod tam absolute mo- <sup>e Plal. 36. a</sup>  
 nes delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit huiusmodi delectatio?  
 Delectationem cibi, somni & quietis, & cæterorum quæ in terra sunt, no- <sup>Delectatio in</sup>  
 vimus: Deus autem quam delectationem habet, ut in eo delectemur? <sup>Domino qua</sup>  
 Fratres mei, sæculares, hoc dicere possunt, vos non potestis. Quis enim <sup>fit.</sup>  
 vestrum est, qui non sæpe expertus sit conscientiæ bonæ delectationem?  
 Qui non gustaverit saporem castitatis, humilitatis, charitatis? Non est <sup>Maior est</sup>  
 hæc delectatio potus neque cibi, aut similis cuiuslibet rei: delectatio ta- <sup>quacunq; ali-</sup>  
 men est, & maior omnibus illis: divina enim est, & non carnalis delecta-  
 tio: & cum in his delectamur, planè delectamur in Domino.

Sed causantur multi fortasse quod affectum hunc delectabilem & <sup>Per tentatio-</sup>  
 dulciorem super mel & favum rariùs experiantur: nimirum quia tenta- <sup>nes non ex-</sup>  
 tionibus interim exercentur, multoque virilius agant, si virtutes ipsas non <sup>cluditur.</sup>  
 pro delectatione quam experiantur, sed pro virtutibus ipsis & pro solo  
 beneplacito Dei tota intentione, etsi non tota affectione sectantur. Nec du-  
 bium quin optimè placeat, qui huiusmodi est, Prophetæ admonitio-  
 ni, qua dicit: *Delectare in Domino*: quoniam non de affectu loquitur, sed  
 de exercitio. Affectus enim ille beatitudinis est, exercitium verò virtutis.  
*Delectare, inquit, in Domino, ad hoc tende, ad hoc conate, ut in Domino*  
*delecteris, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Sed considera quod <sup>petitiones</sup>  
*cordis* dixerit, quas approbat iudicium rationis. Nec habes unde causeris, <sup>non exaudiri,</sup>  
 sed unde magis tanto affectu in gratiarum actione verferis: quandoqui- <sup>sapè divine</sup>  
 dem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi <sup>bonstatis iudi-</sup>  
 inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud utiliori dono. Sic & <sup>cium est.</sup>  
 pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porrigit: quærenti cul- <sup>Simile.</sup>  
 tellum, quem non necessarium putat, non contentit, sed magis panem ei  
 quem dederat frangit, vel per aliquem ministrorum frangi præcipit, ut ni-  
 hil ille habeat periculi, nihil laboris.

*Tria bonorum genera, quae a DEO peti possunt.*

*Orandum pro necessitatibus animae potissimum.*

*Tria in istis tribus bonorum generibus petendis observanda.*

*Brevis Regula bene orandi.*

Porro *petitiones cordis* in tribus credo constare, nec video quid praeter illa electus quisque sibi debeat postulare. Duo quidem huius temporis sunt, id est, bona corporis & animae, tertium verò beatitudo aeternae vitae. Nec mireris quod bona corporis à Deo dixerim esse quaerenda, quoniam eius sunt corporalia omnia, sicut & spiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum & sperandum nobis est, unde possumus in eius servitio sustentari. Veruntamen pro necessitatibus animae orandum nobis est & frequentius, & ferventius, id est, pro obtinenda gratia Dei, animaeque virtutibus. Sic & pro vita aeterna tota pietate & toto nobis orandum est desiderio, ubi nimirum corporis & animae plena & perfecta sit beatitudo.

In his ergò tribus, ut cordis petitiones sint, tria nobis sunt observanda. Nam & in prima quidem *superfluitas*, & in secunda *impuritas*, & *elatio* interdum surrepere solet in tertia. Nonnunquam enim temporalia quaeri solent ad voluptatem, virtutes ad ostentationem. Sed & vitam aeternam fortassis aliqui non in humilitate quaerunt, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet ut in ea constituat quisquam fiduciam impetrandi: hoc solum conferunt haec praemissa dona, ut ab ea misericordia quae tribuit haec, sperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio quae pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta, sit oratio quae pro virtutibus est animae, etiam ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta: sit ea quae fit pro aeterna vita, in omni humilitate, praesumens de sola (ut dignum est) miseratione divina.

## IN QUADRAGESIMA

*De Oratione Domini.*

### S E R M O VI.

*Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra a.*

*a Matt. 6. b*

*b Ioan. 1. b*

*Varia in homine divina*

**V**oluntas Domini, Fratres, quae prius Angelos creavit faciens eosdem, postmodum in eis facta beavit. Sicut enim *Verbum* quod erat in principio, carnem suscipiens dicitur (& verè dicitur) *factum caro*<sup>b</sup>, sic voluntas illa aeterna in Angelo facta est, cum Angelicam omnino in se absorbit voluntatem. Quidni dicatur facta in Angelo, cum Angelica facta est? Haec enim summa illius felicitatis est, hic voluptatis caelestis torrens, quod divina voluntas ipsa facta est etiam Angelorum: ut quemadmodum placet DEO universitas administrationis huius, sic & ipsi in eundem gaudeant, in omnibus delectentur. Hoc igitur oramus, ut haec voluntas sicut in caelestibus facta est creaturis, fiat etiam in terrenis: ut sicut



sicut Angelus, sic & homo adhærens DEO, unus cum eo spiritus sit. Sed heu me, quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta! Obicit sese malitia mediam, obicit infirmitas, obicit concupiscentia & ignorantia nostra. Inest enim nobis quasi à natura, magis autem ab exterminio naturæ, affectio quædam pessima & libido nocendi, ut inextinguibilis inveniatur in miseris animabus nostris malitiæ delectatio. Quid verò longius à voluntate divina? Planè chaos magnum inter nos & illam firmatum est in hac parte: cum semper eum delectet præstare beneficia, & ingratis nobis econtra suggerat affectio crudelissima & innoxii velle nocere. Hinc omnis radix amaritudinis germinat, hinc invidiæ, hinc detractiones, hinc dissensiones pullulant, hinc sylvescunt inimiciæ: At hæc quidem germina virulenta præcidi semper necesse est falce justitiæ, qua videlicet extorquemus à nobis, ne cui faciamus quod nolumus nobis fieri: sed quæ volumus ut faciant nobis homines, & nos eis eadem faciamus. Eradicari tamen aut extirpari à cordibus nostris omninò non poterit malitia, donec in mundo fuerimus, qui totus positus est in maligno. Conteritur quidem serpentis caput, sed experiri est frequenter calcaneo insidiantem.

voluntati obstacula.

1. Ex innata malitia, seu corruptione natura.

Secundo loco ipsa quoque corruptibilis huius infirmitate corporis præpedimur, ne voluntas nostra divinæ valeat cohærere. Nobis quidem quod molestum sentimus, non potest non displicere: & frequenter in his voluntas nostra à divina dissidet voluntate, cui ne penitus adversetur, fortitudo est nobis necessaria, quæ secunda species est virtutis.

2. Ex infirmitate humana.

Nec sola impedit afflictio corporis: Impedit & concupiscentia, qua multiplicibus & inexplabilibus distrahimur desideriis! Quando autem poterit anfractuosa & angulis plena voluntas ei uniri, quæ rectissima est, & omnimodis indistorta? Heu mihi Domine DEUS, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta! Quocumque me vertam, nulla usquam securitas est: & quæ mulcent, & quæ molestant, timeo: & esuries & refectio, & somnus & vigiliæ, & labor & requies militant contra me. *Divitias & paupertatem ne dede mihi*, orat Sapiens: nimirum quia utrobique laqueus, utrobique periculum. Quod si reprimit temperantia concupiscentiam (hoc quippe unicum in huiusmodi remedium est) erit quidem unio jam nonnulla, sed plena non erit. Hinc & Apostolus de se fatetur. *Ego ipse, ait, mente consentio legi DEI, carne autem legi peccati, quæ est in membris meis.* Ex parte ergo cohæret, & ex parte dissidet, donec veniat quod perfectum est, & quod ex parte est evacuetur.

3. Ex Concupiscentia.

e Prov. 30. b  
Nunquam & nusquam securitas in hac vita.

d Rom. 7. d

Quarta est ignorantia, quam & ipsam nobis plurimum obesse non ignoratis.

4. Ex Ignorantia.

ignoratis. Quo enim pacto voluntatem DEI præviam sequar, ubi ignoro eam? Cognosco autem tantum ex parte, & necdum sicut cognitus sum. Propterea inquirenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa prudentiæ, ut magis ac magis notam faciat nobis DEUS voluntatem suam, ut sciamus quid acceptum sit ei omni tempore. Sic virtutum consummatio, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, & prudentiæ unionem illam tam felicem quam desiderabilem consummabit, ut sit nobis cum Deo una voluntas: & quæcunque ei placent, placeant simul & nobis: atque hoc nobis erit (ut de Angelis supradictum est) omnino perfecta jucunditas.

Oramus autem ut *adveniat regnum Domini*, quo videlicet nobis plena sit de regni potestate securitas. Quod autem petimus ut *sanctificetur nomen eius*, omnino jam supra nos in eius notitiam pergere concupiscimus. Ubi nimirum nobis in nobis & felix securitas & secura felicitas fuerit, in eum qui super nos est, tota iam spiritus vehementia rapiemur, *Sanctificetur nomen tuum*. Nomen eius, gloria eius. Et illa quando non sancta? Fieri tamen dicitur sancta gloria eius, cum in sanctitate glorificatur à nobis: sicut & voluntatem eius, quæ aterna est, in nobis (ut nostra fiat) fieri postulamus. Hoc ergo primum fieri petimus quod maximum est, ut nobis gloriæ illius innotescat sanctitas illibata. Exinde quod ad nos spectat optamus, & regni potestatem propter securitatem, & voluntatis eius in nobis perfectionem propter jucunditatem. Sed quia necdum illa perfectione gaudentes non sine magno labore divinæ potestatis obtemperare voluntati, opus est cibo ne deficiamus, opus est, inquam, *pane quotidiano*. Sæpius quoque aberrantes ab ea, & delinquentes, hoc est derelinquentes eam, necessariò pro indulgentia supplicamus, dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, &c.* At ne forte in eadem recidamus post acceptam veniam peccatorum, orandus à nobis idem ipse est *ne nos inducat in tentationem*: sed magis educat nos, & liberet à malo.

Quomodo sanctificari dicatur nomen Dei in seipso summè sanctum.

### IN QUADRAGESIMA,

De Peregrino, Mortuo, & Crucifixo,

#### SERMO VII.

*Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis a.*

1. Pet. 2. b

**F**elices qui præsentem sæculo nequam advenas & peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes ab eo. *Neque enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* b. Abstineamus ergo à carnalibus desideriis quæ militat advertus animam tanquam advenæ & peregrini. Peregrini

1. Heb. 13. c

Peregrinus siquidem via regia incedit, non declinat ad dexteram neque ad sinistram. Si forte iurgantes viderit, non attendit: si nubentes aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum & victum habens non vult aliis onerari. Beatus planè qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domino <sup>c</sup>: *Quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.* Magnū hoc quidem, sed forte gradus aliquis altior est. Nam peregrinus etsi non admiscetur civibus, aliquando tamen delectatur videre quæ fiunt, aut audire ab aliis, aut ipse narrare quæ viderit: & his & huiusmodi etsi penitus non retinetur, detinetur tamen & retardatur, dum minus memor patriæ minori accelerat desiderio. Nam & tanto tempore potest in his delectari, ut jam non solum remoretur, & minus citò veniat, sed & remanens ex toto ne tardè quidem perveniat.

*Peregrini mysticâ descriptio.*

<sup>c</sup> Psal. 38. d

Quis igitur est magis alienus ab actibus sæculi, quàm peregrinus? Profectò quibus dicit Apostolus <sup>d</sup>: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO.* Peregrinus nimirum potest facile occasione viatici plus quam oporteat & detineri quærèdo, & prægravari portando: mortuus, si desit etiam ipsa sepultura, non sentit. Sic vituperantes ut laudantes, sic adulantes audit ut detrahentes: imò verò nec audit, quia mortuus est. Omnino felix mors, quæ sic immaculatum servat, imò penitus alienum facit ab hoc sæculo. Sed necesse est ut qui non vivit in se, vivat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus <sup>e</sup>: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Ac si diceret: Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo: si qua verò sunt Christi, hæc vivum inveniunt & paratum. Nam si non aliud possum, saltem sentio, placet quod ad eius honorem fieri video, displicent, quæ aliter fiunt. Magnus omnino gradus est iste.

<sup>d</sup> Coloff. 3. a

*Mortuum Mundum do quis.*

<sup>e</sup> Gal. 2. d

At fortasse poterit aliquid adhuc superius inveniri. In quo ergo quæremus? In quo putas, nisi in eo de quo nunc loquebamur, qui raptus est usque ad tertium cælum? Quis enim prohibet tertium cælum dicere, si quem gradum supra istos poteris invenire? Audi igitur ipsum de hac tanta altitudine non in se gloriantem, sed dicentem <sup>f</sup>: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Non solum, inquit mortuus mundo, sed & crucifixus: quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi, pariter & ipse mihi. Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes: Quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. An non maior iste est

<sup>f</sup> Gal. 6. d

*Crucifixus mundo quis.*

secundo & primo gradu? Peregrinus si prudens est, & non obliviscitur suæ peregrinationis, licet cum labore transit, & non magnopere sæcularibus implicatur: mortuus æquè blanda huius sæculi sicut aspera spernit. Quia verò raptus est usque ad tertium cælum, crux illi est omne cui mundus inhæret: & his adhæret quæ mundo crux esse videntur. Quamvis in his verbis Apostoli illud quoque non incongruè posset intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipsum verò mundo crucifixum compassionem. Crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum.

¶ Psal. 83. d

Pensemus singuli in quo gradu quisque sit positus, & studeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur *Deus Deorum in Sion* &. Maximè verò hoc sancto tempore in omni, obsecro, puritate conversari studeamus, ubi & certus & brevis dierum numerus positus est, ne desperet humana fragilitas. Nam si dicitur nobis in omni tempore, solliciti estote omnino ad custodiendam puritatem vestræ conversationis, quis non desperet? Nunc autem monemur, brevi dierum numero omnes aliorum temporum negligentias emendare: ut vel sic gustemus dulcedinem perfectæ puritatis, & omni deinceps tempore in conversatione nostra sanctæ huius quadragesimæ vestigia clara resplendeant. Conemur ergo, fratres sanctum hoc tempus tota devotione suscipere, & tunc magis arma spiritualia reparare. Nunc enim generali quodam totius orbis exercitu contra diabolum Salvator congregitur: beati, qui sub tali duce strenuè militarint. Toto siquidem anno domestica regis familia militat, & assidua est in bellorum procinctu: semel autem & certo tempore universum imperium generali congregatur exercitu. Felices vos, qui domestici meruistis esse: quibus dicit Apostolus <sup>b</sup>. *Iam non estis hospites & advena, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei.* Quid igitur facturi sunt qui toto anno pugnam susceperunt, quando & ipsi rudes & vacantes prius spiritualia arma arripiunt? Utique solito amplius solitæ opus est insistere pugnae, ut magna quædam victoria regi nostro ad gloriam, nobis proveniat ad salutem.

Tempore Quadragesimæ. Christus generali totius orbis exercitu cum diabolo congregitur.

¶ Ephes. 2. d

## DE S. BENEDICTO ABBATE,

### S E R M O.

Convenientibus vobis in unum ad audiendum verbum salutis, magnus mihi timor, Fratres mei, ne quis forè minus digne illud recipiat, & non sicut recipiendum est verbum Dei. Scio enim terram quæ sapius supervenientem in se recipit imbrem, si fructum non fecerit, reprobam fore, & proximam maledicto <sup>a</sup>. Et ego utique si possem, benedictiones

¶ Heb. 6. b